

Utrum increatus genitor suum unigenitum spiritum sancto precise valeat diligere. Videtur quod non. Increatus genitor suum unigenitum sapientia genita non valet cognoscere. Igitur nec ipsum dilectione producta valet diligere, igitur nec Spiritu Sancto. Consequentia prima patet, quia sic se habet diligere Patris ad dilectionem procedentem, sicut sapere Patris ad sapientiam genitam. Et consequentia secunda nota, quia (71ra) spiritus sanctus est dilectio procedens a Patre et Filio. Antecedens patet per Augustinum, 7 De trinitate, quia si pater saperet sapientia genita cum illud sit Patri sapere quod est esse, pater esset sapientia genita et sic Pater esset genitus quod est falsum.

Ad oppositum videtur esse Magister, libro 1 distinctione 10 in principio sic dicens: Spiritus Sanctus amor est sive caritas Patris et Filii. Unde Augustinus in 15 De trinitate ait Spiritus Sanctus nec patris est solius, nec filii est solius, sed amborum, et ideo connexio quia se invicem diligunt nobis insinuat caritatem.

Respondeo ponendo tres conclusiones. Prima conclusio est quod viator carens grato Dei diligere actum moraliter bonum valet elicere. Sic intelligo conclusionem, scilicet quod viator carens caritate actum moraliter bonum potest elicere.

Probatum tripliciter. Primo sic, viator carens Dei diligere scilicet caritate potest deliberare actum conformem recte rationi elicere, igitur. Patet consequentia, quia omnis talis actus vocatur moraliter bonus. Et probatur antecedens, quia talis carens caritate cogitando statum suum et Dei misericordiam potest se disponere ad gratiam potest Deum deprecare deliberate, et omnia ista dicat recta ratio esse facienda, igitur.

Secundo sic: viator carens Dei diligere potest habitum virtutis moralem acquirere, igitur. Consequentia nota, quia habitus habet generari ex actibus et sic habitus moralis ex actibus moralibus. Et probatur antecedens, quia aliquis infidelis potest sibi acquirere castitatis habitum et liberalitatis etc., cum sint multi infideles luxuriam detestantes, ut patet de Aristotele et aliis philosophis, et de Marcho Marcelo libro 1 De civitate Dei, capitulo 5.

Tertio sic: viator sine Dei diligere potest proximo salubriter consulere, igitur. Consequentia nota, quia talis actus boni consilii non est absque bonitate morali. Et patet antecedens, quoniam multi peccatores aliis consulunt virtutum opera in peccatis ipsi manentes iuxta textum Apostoli ad Romanos, 2. Dices non furandum et ipse furaris, non esse m<o>ecandum et ipse m<o>ecaris igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: nullus actus carens debito fine esse bonus moraliter. Sed omnis actus viatoris carentis Dei diligere caret debito fine, igitur. Maior patet per Augustinum, 4 Contra Iulianum, dicentem quod fit ab homine et non fit propter illud quod debet fieri et ut sapientia precipit, et si videatur bonum, quia tamen caret recto fine, peccatum est. (71rb) Minor patet, quia viator non diligens Deum nullum actum suum refert in ipsum Deum, quia si referret in Deum iam ipsum Deum plusquam ipsum actum amaret, et sic Deum diligeret, et sic, si Deum non diligit, propter Deum non agit.

Unde Anselmus De concordia in fine ait quod voluntas post desertam iustitiam facta est ancilla sue affectionis que est ad commodum, id est cum vult aliquid non vult ipsum propter Deum sed propter commodum proprium.

Secundo sic: viator carens Dei diligere nullum bonum opus potest incipere nec ad ipsum se potest preparare, igitur nec actum bonum elicere. Patet consequentia de se, Sed antecedens patet per Augustinum De predestinatione sanctorum, iuxta principium sic dicentem: nemo sibi

sufficit ad recipiendum vel perficiendum aliquod bonum sed in omni opere bono incipiendo vel imperficiendo sufficientia nostra ex Deo est.

Tertio sic: viator carens Dei diligere non potest penitere nec velle penitere, igitur. Consequentia nota, quia penitere vel velle penitere non sunt maioris difficultatis quam boni actus moraliter alii, cum nihil sit tantum in potestate voluntatis, sicut ipsa voluntas 1 Retractationum, capitulo 8.

Et patet antecedens per Augustinum De fide ad Petrum, dicentem firmiter tene et nullatenus dubites neminem hic posse presentiam agere nisi quem Deus illuminaverit et sua gratuita miseratione converterit.

Respondeo intelligendo in conclusione pro carere Dei diligere idem quod carere gratia gratum faciente. Ad primum dico quod debitus finis alicuius actus potest dupliciter intelligi. Uno modo quia est finis talis quod nullus alius ab illo dicitur finis propter quem aliqua possint fieri vite eterne meritoria, et talis finis est Deus. Et isto modo concedo quod quandoque talis actus non est relatus in finem debitum. Et tunc nego consequentiam, igitur non est bonus moraliter, sicut non sequitur: 'ille exponit se periculo pro defensione rei publice, et non propter Deum, igitur non operatur bonum moraliter. Alio modo dicitur aliquis finis debitus alicuius actus, quia est talis finis quod etiam per intellectum circumscripto omni alio fine secundum dictamen recte rationis ille propter illum finem deberet fieri, ita quod ille finis per se esset causa sufficiens finalis ad monendum voluntatem ad illum actum, et sic dico quod omnis actus moralis habet debitum finem, et sic nego antecedens. Et concedo consequentiam. Unde de primo fine antecedens est verum aliquando. Sed consequen- (71va) tia falsa. Et de secundo antecedens est falsum. Et consequentia bona. Ad probationem etiam antecedentis dico quod non sequitur 'iste caret diligere Dei gratuito, igitur non diligit Deum', quia sine caritate potest quis Deum super omnia diligere, ut dicit prima conclusio quaestionis 19.

Ad secundum, dico quod bonitas operis est triplex, scilicet naturalis, mortalis et meritoria vite eterne. Dico etiam quod Dei gratia est duplex, scilicet gratis data et gratum faciens. Et tunc dico pro materia argumenti quod sine gratia gratis data nullus potest aliquod opus bonum naturaliter, moraliter ver meritorie incipere. Et sic intelligitur dictum Apostoli dicentis quod omnis nostra sufficientia ex Deo est. Secundo dico quod sine gratia gratiam faciente nullus potest bonum opus meritorie incipere.

Tertio dico quod sine gratia gratum faciente potest quis habita sola gratia gratis data bonum naturaliter vel moraliter incipere. Et ex istis patet ad argumentum.

Ad tertium, dico quod sine gratia gratis data peccator non potest penitere nec velle penitere. Item quod cum gratia gratis data sine gratia tamen gratum faciente potest velle penitere, sed non penitere quia penitere est actus meritorius vite eterne quem viator sine gratia non potest elicere, potest igitur mediante sola gratia gratis data se disponere et velle penitere, sed non de facto penitere. Ex istis patet ad argumentum.

Secunda conclusio est quod viator carens gratuito Dei diligere id est caritate actum non culpabiliter malum potest elicere.

Probatur tripliciter. Primo sic: viator carens gratia potest Deum diligere super omnia, igitur. Patet consequentia, quia Dei dilectio super omnia nullo modo potest esse culpabilis, quia alias viator teneretur ex deliberatione ad eius oppositum, et sic in casu teneretur Deum non diligere super omnia deliberate, igitur non peccaret quod tamen est oppositum primi precepti. Antecedens autem patuit superius conclusione prima quaestione 19.

Secundo sic: aliquis carens fide potest actum non culpabiliter malum eligere, igitur et carens gratuito Dei diligere. Consequentia nota, quia carentia fidei infert carentiam gratuite dilectionis Dei: iuxta dictum Apostoli Ad hebreos, *sine fide impossibile est placere Deo*. Sed antecedens patet de infideli qui ex naturali pietate subvenit parentibus, quia aliter non teneretur subvenire.

Tertio arguitur auctoritate magistri libro 4 distinctione 15 et sunt verba Augustini De bono (71vb) *pad'e* que recitantur in canone de *pe* distinctione 3 in fine, ubi dicitur: si quis non habens caritatem quem pertinet ad unitatem fidei et vinculum pacis quo ecclesia connectitur et in aliquo scismate constitutus ne Christum neget patitur tribulationes famem persecutionem vel fammas vel bestias vel ipsam crucem timore Gehenne. Nullo modo ista culpanda sunt immo hic est laudanda patientia. Non enim dicere poterimus melius ei fuisset ut Christum negando nihil horum pateretur que passus est confitendo, sed extimandum est fortasse tollerabilius ei futurum iudicium quam si Christum negando nihil horum pateretur: ecce quod aperte ait Magister, quod nullomodo ista culpanda sunt. Item pro hac conclusione est expresse Decretis 28, quaestione 1, capitulo 'omne', paragrapho 'hiis'. Ubi dicitur omne quod non est ex fide est peccatum. Non ita intelligendum est quod omne quod ab infidelibus sit, sit peccatum, sive credatur esse peccatum, sed sic debet intelligi quod omne quod sit contra conscientiam hedificat ad Gehennam et multa ad propositum ponuntur in eodem capitulo.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic, *v<i>ator* carens Dei diligere omnem actum quem facit, facit servitute diaboli, igitur quilibet talis est malus culpabiliter. Consequentia nota, sed antecedens patet per glosam quem habetur Matheus 6 super illo verbo *nemo potest duobus dominis servire*, qui ait: nihil est medium quicquid facis, aut amore Dei aut servitute diaboli facis.

Secundo sic: Augustinus Contra Iulianum capitulo 22 ait omnia facta sine caritate aut bene, aut male fiunt. Si male igitur peccata sunt. Si bene, igitur arbor mala fructus bonos facit quod fieri non posse salvator ipse dicit.

Tertio sic: si conclusio sit vera sequitur quod aliquis actus in peccato mortali et sine gratia commisus non foret dignus pena. Consequens falsum, et probatur consequentia. Quia solum actus culpabiliter malus demeretur penam, sed falsitas consequentis apparet per magistrum libro 2 distinctione 26. Et sunt verba Gregorii 1 *Moralium* que ponuntur in Glossa super illud Ad Romanos, 2. Omnes peccaverunt et egent gratia Dei, ubi dicitur quod meritis impii non gratia, sed pena debetur. Igitur per consequens impius semper meretur penam.

Respondeo. Dico ad primum quod illa glosa in qua stat tota virtus argumenti potest intelligi dupliciter. Uno modo quod omne illud quod sit fiat vel amore (72ra) Dei vel servitute diaboli, id est omne quod facis vel facis propter amorem Dei, vel propter amorem diaboli. Et sic non debet intelligi et sic negatur antecedens. Alio modo sic, id est omne quod facis vel procedit ex voluntate que est in amore Dei et eius gratia, vel ex voluntate, que est in servitute diaboli, et sic debet intelligi Glossa.

Et sic concedo antecedens et nego consequentiam, quia non sequitur 'ille est in servitute diaboli, igitur omnis actus eius est peccatum, quia etiam in servitute diaboli existens potest suo prelo in licitis obedire.

Ad secundum, dico quod opera bona facta extra caritatem non bene fiunt quoad vitam eternam promerendam, sed bene fiunt quoad culpam vitandam mala autem arbor non potest

fructus bonos facere primo modo, ut habetur 28 quaestione, 9 conclusione, sed bene secundo modo.

Ad tertium, dico quod illa auctoritas, scilicet meritis impii etc., sic debet intelligi id est operibus procedentibus ex impietate non datur gratia, sed pena, modo certum est quod non omne opus procedens a carente gratia procedit ex impietate, quia non opus quo honorat parentes vel pauperi subvenit.

Tertia conclusio est quod increatus genitor suum unigenitum Spiritum Sancto precise dicitur diligere.

Probatum tripliciter. Primo sic: omnis dilectio est nexus sive vinculum amantis cum amato, sed precise Spiritus Sanctus est talis nexus et vinculum increati genitoris cum suo unigenito, igitur. Patet minor per Magistrum libro 1 distinctione 10.

Secundo sic: hoc ponit beatus Augustinus, igitur ita est consequentia nota per locum ab auctoritate. Et antecedens patet, nam 15 De trinitate capitulo 17 ait quod Spiritus Sanctus non est patris solius etc. ut est allegatum in principio quaestionis ad oppositum. Item 6 De trinitate, capitulo 5, quod Spiritus Sanctus est quod genitus a gignente diligitur genitus que genitorem suum diligit.

Tertio sic: omnis dilectio est per amorem ab amante procedentem in amatum, igitur. Consequentia nota. Et antecedens ponit Hugo in quadam epistola ad propositum, sic dicens quod unus homo diligit alium amore qui ab eo procedit sic pater et filius diligitur se amore qui ab eis procedit, sed talis amor solum est Spiritus Sanctus, igitur etc. Item Ieronimus, super Psalmum 17, ait quod Spiritus Sanctus est dilectio quam pater habet in filium et filius in patrem.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: increatus genitor suum unigenitum diligit essentia sua, igitur non spiritu sancto antecedens est magistri in prima conclu- (72rb) sione huius distinctionis. Et consequentia patet, quia tunc diligerent se bis vel duabus dilectionibus, quia diligerent se semel per Spiritum Sanctum et semel per se ipsos.

Secundo sic: si Pater diligeret Filium Spiritu Sancto, aut illa dilectio esset essentialis, aut notionalis. Non essentialis, quia illa communis est tribus et non Spiritui Sanctui. Nec notionalis, quia amor notionalis idem est quod spirare, igitur si pater diligeret filium Spiritu Sancto, spiraret Filium Spiritu Sancto. Consequens falsum, quia actus notionalis non est reflexivus super illum cuius est actus principiative cum nihil producat se ipsum spirando vel generando, igitur sequitur quod nullomodo Pater diligit Filium Spiritu Sancto.

Tertio sic: si Pater diligit filium Spiritu Sancto, iste ablativus 'Spiritu Sancto' necessario construitur in habitudine alicuius principii respectu actus dilectionis et omnis habitudo talis per modum cause vel principii potest resolvi in aliquam propositionem designantem illam habitudinem. Cum igitur nulla possit esse habitudo principii Spiritus Sancti ad actum dilectionis patris nisi originantis efficientis vel formalis. Sed nullo istorum modorum Spiritus Sanctus habet calitatem super dilectionem Patris ad Filium, igitur etc.

Respondeo. Ad primum concedo antecedens et nego consequentiam, quia non sequitur 'Pater diligit filium essentia sua et Spiritum Sanctum, igitur diligit ipsum bis vel duabus dilectionibus'. Ratio est quia Spiritus Sanctus et essentia non sunt duo, sed una res simplicissima, ut dictum est superius quaestione 25 conclusione tertia. Aliter respondet Aureolus, dicens quod quamvis pater diligit filium per essentiam suam et per Spiritum Sanctum non sequitur quod bis diligit ipsum, quia diligit ipsum per essentiam suam formaliter et per Spiritum Sanctum quasi per nexum, et hoc duo concurrunt ad unicam dilectionem, cum diligere

in divinis non sit aliud quam divinitas prout unitur alicui per se ipsam positam in esse lato et dato illi. Sic autem Spiritus Sanctus est, et ita divinitas ut est amor connotat Spiritum Sanctum per modum vinculi quod aliud attingitur tanquam datum illi.

Ad secundum potest dici quod illa dilectio est actus essentialis et notionalis. Sed diversis rationibus dicitur essentialis, quia formaliter est ipsa essentia et dicitur notionalis inquantum est nexus et concordia duorum, et sic non est mere essentialis, ut est velle, nec mere notionalis, ut est spirare vel generare. (72va) Et cum probatur quod non est essentialis, dico quod ratio procedit de mere essentiali. Et cum probatur quod non est notionalis, quia talis non est reflexivus etc., dico quod actus normalis potest se reflecti aliquo modo supra illum cuius est actus, non quidem producendo se in recto, sed producendo aliquid erga se vel erga amatum, vel dico quod verum est de actu mere notionali, ut est generare et spirare.

Ad tertium, dico quod ista locutio 'Pater diligit Filium Spiritu Sancto' potest resolvi in istam propositionem 'Pater diligit Filium per Spiritum Sanctum' et tunc li 'per' non notat habitudinem causalitatis Spiritus Sancti super dilectionem Patris ad Filium, sed tantum modo notat habitudinem medii vel connexionis. Medio enim non repugnat quod cum alio construatur in habitudine ablativi casus, ut dicendo duo lapides copulantur glutinio.

Ad primum argumentum in principio quaestionis, cum dicitur quod increatus genitor suum unigenitum sapientia genita non valet cognoscere, dico quod licet increatus genitor non sit sapiens sapientia genita formaliter tanquam principio formali, quod tamen non sapiat res se ipsum et omnia que concipit mediante sapientia genita vel ipso verbo obiective non sequitur, immo oportet ponere quod omnis apparentia obiectiva rei adeo intelligibilis sit ipsum verbum. Sapit igitur pater se ipso formaliter, scilicet inquantum Deus, quia idem est sapere quod esse, sed verbo obiectaliter. Sic ad propositum Pater formaliter diligit filium esse vel inquantum Deus est. Sed ipsum per modum nexus et coniunctionis diligit Spiritu Sancto.